VIRO CLARISSIMO

JOSEPHO AURELIO DE JANUARIO

In Neapolitano Athenæo Juris Feudalis Professori Senatorique ac Consiliario Regio



A. M. CARD. QUIRINUS
S. R. E. Bibliothecarius, & Episc: Brixien.

DOctissimam, disertissimamque Orationem tuam, Vir Clarissime, de Jure Feudali, cujus publice docendi provinciam in Neapolitana urbe, mandante invicto Carolo Rege, nuperrime suscepisti, eo avidius, atque jucundius perlegi, quo opportunius meas illa ad manus commeavit. Id siquidem accidit, postquam ego ante paucas dumtaxat hebdomadas pro implenda ejusdem Juris Cathedra, a quinque jam annis in Patavino Athenæo vacua, preces quasdam Literariis Triumviris, quorum illud vigilantia regitur, detulissem, obsecundaturus nonnullorum amicorum meorum literis Roma transmissis. Quoniam igitur illius Orationis lectio effecit, ut multo clarius quam antea perciperem, qualem quantumque doctorem Feudalis Facultas postularet, pœnituit me quodammodo officiosas eas commendationes in re tanti momenti adhibuisse; ac præterea subiit animum meum cogitatio Orationis ejusdem Triumvirorum eorundem oculis subjiciendæ, quod valde idoneam fore existimaverim juvandis ipsorum Consultationibus de seligendo Feudali Antecessore, iis scilicet partibus instructo, quas ad munus illud bene gerendum, facundia, doctrina, atque sapientia Josephi Aurelii de Januario necessario requiri dilucide patefecit.

Hoc autem capto consilio gratulatus mihimetipsi sum, sat clare dignoscens, me non alia magis ratione testari Tibi potuisse, tuam illam nuperrimam lucubrationem haud mi-

Digitized by Google

nus probatam a me fuisse, quam reliquas, quibus pariter splendidissimum lumen ac decus, Eruditorum omnium judicio, Jurisprudentiæ attulisti. Quidni? quum videam in ea Oratione justissime a Te judicatum fuisse, ex tot in humana societate institutis Facultatibus, Feudalem, præ suæ dignitatis præstantia, nullis cedere, multis ob Reip. utilitatem præesse, nusquam nisi collapsis communis boni fundamentis extingui. Quidni? quum propositum Tibi esse intelligam, omni studio incumbere, ut ingenuus ei doctrinæ redeat honos, non fucatus ac meretricius triumphet apparatus, pudorique Te ducturum, per futiles quasdam concertationes, aut involutas disputationum ambages excurrere, nudas & leporis inopes notiones tradere, enerves languidasque originum Feudalium conjecturas consectari, superstitiosas putidasque novarum vocum, quæ e puro Latini sermonis fonte deflectunt, etymologias exponere, uno verbo, in speciem lusus erudita deliria juventuti obtrudere. *Juvabit* (ais ipse) *retrusa bujus Facultatis penetralia adire, arcanam inquirere doctrinam, succo ac sanguine plenam comparare utilitatem.*

Ex ea vero, quam dixi, attulisse mihi munus illud tuum voluptate, & ex utilitate, quam pariter dixi, Patavini Gymnasii decus, Triumvirorum suorum authoritate, inde capturum, excitatum me sensi ad resumendum meas in manus egregium tuum Opus, quo jamdiu liberalitate tua fruor, de Rep. Jurisconsultorum, illudque diligenter evolvendo contigit mihi observare, nullam sese Tibi ibidem exhibuisse occasionem collaudandi eximium Jurisconsultum Petrum de Monte, Civem meum, meumque in Brixiana hac Cathedra ante annos ter centum decessorem. Sinas itaque, ut pro eodem munere vices grati animi Tibi redditurus, hisce literis documentum inseram, unde gestiens intelligas, Præsulem illum iis dotibus enituisse, ingenii nimirum, industriæ, literarum tam Latinarum, quam Græcarum peritiæ, Religionis demum, tatis, & honestatis, ex quibus omnibus utique in Rep. a Te in-

inſtituta inter Optimates locandum fuiſſe nullus dubito, ſiquidem illius memorandi opportunitas Te minime fugiſſet. Opus Petri de Monte in bina maximæ molis Volumina diſpertitum Patavii impreſſum fuit an. 1480. quumque pro certo habeam penes vos nuſquam extare (poſt Editionem illam, quod quidem ego ſciam, minime recuſum, atque omnino rarum vel in hiſce noſtrarum regionum Bibliothecis) mihi perſuadeo, Te muneris loco accepturum ejuſdem, quam ex MS. Vatic. Codice hauſi, Præfationem. Ea enim vel ex ſe ſola certum Te faciet, Petrum de Monte eum fuiſſe, de quo jure dicere valeam,

Huic meliore luto fingens præcordia Legum
Diva parens, generoſo incoxit pectus honeſto,

ac proinde iis labibus vacaſſe, quarum tuo, & aliorum judicio expertes minime fuiſſe Accurſium, Bartolum, & Baldum, ac quotquot iſtos ſequuti ſunt, tuum illud Opus nos edocet.

Certe ipſemet titulus, quem ſuis illis ſtupendæ, ut dixi, molis Voluminibus Petrus de Monte appoſuit, purus nimirum, putus, & ingenuus, *Repertorium*, ſtatim Tibi declarabit hominem illum in Opere ſuo elucubrando oſtentationi nihil dediſſe, ſed ſolidam doctrinam unice adamaſſe. Novi quantam bilem tibi moveant ſuperbæ nimis, & ambitioſæ librorum inſcriptiones, ab effræni arbitrio inventæ, quas juſte reputas inanes pompas, futilia ornamenta, obſcura ænigmata, uno verbo, *Umbram pro corpore*. Titulorum quorundam, quos recitas, portenta jure rejicis, damnas, & derides, profeſſus ſi quis Tibi detur liber, cui ſit appictus hujuſcemodi adulterinus, & meretricius apparatus, ſtatim, ne Tibi lectio nauſeam creet, Te clauſurum, atque e manibus abjecturum. Contra igitur, ſi Tibi innotuiſſet Voluminum Petri de Monte ſimpliciſſimus ille titulus, is ipſe ſcribentis animum ad ſaniora unice intentum Tibi commendaſſet. Quæ autem eidem Præfationi initium facit Virtutis commendatio, adeo

Digitized by Google

abundat præceptis, institutisque Philosophiæ ethicæ, ut nemo dixerit Petrum de Monte iis accensendum, qui, ut scribis, tanti non esse humeros suos fatentur, ut utrumque valeant onus subire, totos scilicet se hujusmodi Philosophiæ, totos se Jurisprudentiæ tradere, sed inter illos dinumerandum, qui optime norint, Jurisconsulti maxime interesse causas tenere omnes de Religione, de pietate, de caritate Patriæ, de bonis rebus, & malis, de virtutibus, ac vitiis. Adeo etiam abfuit a libidine, quæ, ut ais ipse quoque, forenses quamplures Scriptores invasit, palam edendi suos Commentarios, in quibus pudendum furtivarum rerum acervum inveniet quisque, indeque primam Juris doctrinam, pudicam, & virgineo quodam flore nitentem, aut ineptissimo, aut senticoso disputationum acervo ridicule conspurcandi, adeo inquam abfuit ab hac labe, & ignominia Petrus de Monte, ut fideliter omnino hauserit ex puris Legum fontibus quæcumque in sua illa Volumina congessit, idemque ad veterum Interpretum dicta Legentes fide remiserit, quoties horum auxilio opus esse putavit ad tollendam dubiarum rerum obscuritatem. Demum præclara Petri de Monte laus fuit veterum Historicorum memorabilia in numerato habere, quin politioris literaturæ genus omne tenere, ut statim manifestum faciet eadem Præfatio. Eam libentius subjungam, quod præter Operis illius, quam dixi, raritatem, nomen ipsum Petri de Monte latere deprehenderim Annal. Typogr. parentem, quippe qui inter libros an. 1476. typis vulgatos recensens *Repertorium Petri Episcopi Brixiensis, duob. Volum. per Andream Frisner Bunsidelensem, & Joannem Sensenschmid civem Nurembergensem. fol.* istud tribuendum putet Berthorio, sive Berchorio Priori Monasterii S. Eligii Parisiensis, cujus Opus dicitur, *Morale Repertorium, sive Dictionarium utriusque Testamenti*. Orlandus quoque in libro de Origine, & Progressu Typographiæ non aliud Petri de Monte Repertorium novisse videtur, nisi Theologicum.

Pe-

Digitized by Google

Petri Episcopi Brixiensis

In Repertorium a se in utroque Jure editum Prohemium feliciter incipit.

INter multa præclara, atque salutaria infirmitatis nostræ remedia, sive divino munere nobis collata, sive humano studio & labore inventa, nihil profecto Virtute est utilius, nihil melius, nihil ad bene beateque vivendum accommodatius. Hæc namque componit mores, vitam ordinat, omniumque actuum moralium est quædam quasi norma, & regula, & vitiis, & peccatis obnoxios, ac per devia quæque errantes, ad rectum salutis iter, veluti dux & auriga, redire compellit; quæ quanti a nobis æstimanda sit haud facile dici potest. Ea siquidem, ut auctor est Cicero, neque naufragio, neque incendio amittitur, neque rerum, aut temporum perturbatione. Ea præditi qui sunt, soli sunt divites, soli sapientes, soli res fructuosas possident, ac sempiternas, solique suis rebus contenti nulla re egent, nihil appetunt alienum, nihil requirunt, quoniam Virtutem habentes, nihil sibi deesse arbitrantur. Hæc hominem ab erroribus revocat, hæc cunctis gratum, atque laudabilem facit. Nihil enim est, hac ipsa Virtute amabilius, nihil quod magis alliciat ad diligendum, quippe quum propter probitatem eos etiam, quos nunquam vidimus, diligamus. Hujus propterea solius stabilis est, & firma possesio, in quam neque fortunæ vis, neque hostium impetus ulla ratione potest irruere. Propterea Biantis Philosophi vox illa plurimum laudatur, qui cum ab hostibus, capta Patria, urbe egrederetur, interrogareturque a quodam, cur rerum suarum curam, custodiamque neglexisset, sola Virtutis suæ possessione securus, præclare simul, vereque sapienter respondit: Omnia mea mecum porto. Hæc homines patria, parentibus, genere, forma, divitiis, cæterisque rerum externarum adminiculis exutos, atque nudatos, solo splendore suo extollit, atque illustrat, decorosque & admirabiles reddit, ac præcipua quadam laude & gloria, magnis demum honoribus, & amplissimis dignitatibus dignissimos facit. Inest enim Virtuti dignitas quædam peculiaris ac propria, quam protinus in eos, quibus fuerit adjuncta, transfundit. C. Marium septies Consulem creatum accepimus non generis claritate, non avitis opibus, sed sua virtute, atque præstantia; quam tum sæpe alias, cum in Jugurtam Regem, & in Theotonicorum, & Cymbrorum terrores ostendit. Si Romanos quisquam rogasset, quid secuti Ciceronem Consulem in Catilinæ furores fecissent, non prosapiæ vetustatem, non facultatum magnitudinem, sed virtutem, sapientiam, multarum rerum notitiam, respondissent. Virtutem igitur ipsam, sive cœleste quoddam munus, sive humanum inventum eam dicere voluerimus, quam ad vitam bene, ho-

neste,

Digitized by Google

neste, ac sapienter ducendam, erroresque permultos, ac animi morbos præcavendos alliciat, pernecessarium esse fateri nos oportet, quæ id profecto efficit, ut quanto cæteris animantibus est excelsior homo ac præstantior, tanto qui eam amplectitur cæteris hominibus dignitate, auctoritate, & merito antecellat. Quia vero, ut præclare a Platone dictum est, non solum nobis ipsis nati sumus, sed ortus nostri partem Patria, partem Parentes, ac amici vendicant; sitque præterea insitum nobis communionis, & societatis appetitus, non una tantum virtute, sed pluribus nobis opus fuit, quæ cum actus nostros quoad nos primum, deinde quo ad alios recte ac debite ordinent, nos non tantum nostræ, sed alienæ quoque salutis & quietis avidos cupidosque fecerunt. Est enim homo, si sapienter animadvertere voluerimus, Dei atque hominum causa creatus, & idcirco summum illum, atque optimum rerum omnium opificem, ac bonorum largitorem Deum, tota primum debet mente diligere, colere, ac venerari, ejus causa omnia facere, Virtutemque idcirco amplecti, ut in eum actus suos omnes, cogitationesque convertat, sicque ab eo tandem, qui omnes justissime judicat, omnium operum suorum mercedem, ac retributionem expectet. Debet deinde non solum sua, sed & aliorum commoda quærere, communesque utilitates in medium afferre, suisque anteponere, dando quoque, & accipiendo tum præmiorum, atque beneficiorum spe, tum pœnarum metu; multis demum honestis, ac virtuosis actibus devincire inter se hominum cœtus, & societates. Dedit enim nobis Deus hunc pietatis affectum, ut homo hominem tueatur, diligat, foveatque contra omnia pericula, & præstet, & accipiat consilium, & auxilium. Hinc hominum cœtus, concilia, & conventus, quos Civitates dicimus, emanarunt, hinc fœdera & conventiones, hinc contractus, & commercia, in quibus cum peccari labe corrupta hominum natura multa quotidie fraude, dolo, versutia, & deceptione committeret, appeteret aliena, raperet, vastaret, auferret, & rei suæ augendæ invigilans, jure id vel injuria fieret, parvifaceret, sicque hominum inter se vinculum, & societas disrumperetur; necessarium nobis plures, ut diximus, fuere virtutes, quibus omnis nostra actio non solum in his, quæ ad nos, sed etiam quæ ad alios pertinent rectæ rationis fræno, justoque ac debito moderamine regularetur, sancta atque perpetua inter homines pax & securitas haberetur, quam qui corruperit, violaverit, diruperit, veluti quidam humani generis communis hostis, ac divinæ bonitatis transgressor judicandus est. Nam, ut pulchre a Cicerone dictum est, nihil potest esse summo illi Deo, qui omnem hunc mundum regit, gratius, nihil acceptius, quam cœtus & conventus hominum jure, & benevolentia sociati. Omnes autem virtutes, quæ ad conciliandam, conservandamque hanc hominum inter se
bene-

Digitized by Google

benevolentiam, & societatem plurimum valent, consideranti mihi nulla dignior, nulla præstantior, nulla utilior videri solet quam illa, quam Justitiam appellamus, cujus id præcipuum munus, atque officium esse dicimus, ut quod suum est unicuique tribuens, ab eo quod alienum est, & mentem & manus abstinere præcipiat. Ejus in nos beneficia, atque commoda quoties memoria repeto, toties eam nervum & sustentaculum rerum publicarum, omniumque inter se hominum conjunctionum, & societatum esse animadverto, adeo ut qui eam colant, observent, exerceant, hi ad communem utilitatem, & generis humani conservationem nati esse videantur; & idcirco eos veluti de urbibus, de rebus publicis, de hominum quiete ac pace benemeritos majores nostri summo in honore, atque admiratione habuerunt, statuasque illis, ut ejus temporis mos erat, & perpetua monumenta dedicarunt. Id autem magna cum ratione. Quid enim præclarius? quid pulchrius? quid hominibus unum in locum ad civilem vitam congregatis potest esse commodius, quam eum habere qui juste, sancte, integre, & innocenter, æqua denique illis lance pressideat, qui injurias arceat, discordias tollat, contumelias prohibeat, scelera & peccata debita severitate compescat, qui demum pro meritorum diversitate & bonis præmia, & malis justa supplicia inferat? quæ omnia ex hac ipsa Justitia procedere nemo, nisi maxime demens, inficiabitur. Hanc vetusti Vates Astream appellarunt, quasi ex astris & cœlo ad homines delapsam; cujus tantam vim, tantam commoditatem esse comperimus, ut non aqua, non igne, non hoc, quod spiramus, aere magis, quam ipsa, egeamus. Sicut enim illa ad vitam naturalem, sic hæc ad civilem vitam summe nobis est necessaria. Etenim sine hac Justitia vivere, quam reginam civitatum, ac populorum, omniumque omnino hominum dicere possumus, nihil aliud est, quam vitam quotidie infinitis periculis, damnis, injuriis, contumeliisque objicere. Hac sublata, cœdes, rapinas, stupra, homicidia, reliquaque vitiorum agmina inter homines regnare conspicimus, atque, ut pulchre a gentili Poeta decantatum est,

Vivitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus,
Non socer a genero, fratrum quoque gratia rara est.

Hæc scelestos homines, civesque inquietos, ac turbulentos pœnarum formidine territos æquo tandem jure cogit cum aliis vivere, subesse legibus, obtemperare Magistratibus, desistere a flagitiis, ac demum ad semitam bene, honesteque vivendi reverti; unde illos vel error, vel consuetudo prava, vel impatiens frœni corrupta natura detraxerat. Nulla igitur virtus nobis utilior, nulla melior, nullaque majorem vim habet sive ad conservandam, tuendamque, sive regendam Rempublicam, quam hæc ipsa æqua, rectaque gubernatio, quam Justitiam usitato vocabulo appellamus. Quod in ipsis Romanis libet

in-

Digitized by Google

intueri, apud quos donec virtus ista sanctissima Reipublicæ gubernacula tenuit, Regibus, Principibus, Populis, Nationibusque subactis ad extremos usque terrarum fines maxime illius imperii terminos dilatarunt; ubi vero seditionibus, rapinis, & insolentiis passim uti cæptum est, & abjecta Justitia, ac jugo sanctissimarum Legum excusso, effrænata licentia locum sibi vendicavit, amisso rerum omnium imperio, perdita dulcissima libertate, tam potens, tam excellens Respublica, totius Orbis moderatrix ac domina, in varias clades, calamitatesque decidit, atque unius hominis tyrannidi deservire compulsa est. Quid potentissimas quondam Græciæ civitates Thebas, & Athenas commemorem, quæ amissa Justitia in fumum & cinerem abierunt? Quid dicam de Lacedemoniis? Nonne servatis Licurgi Legibus, quas pro communi utilitate custodienda, & administranda Justitia sapientissimus ille legislator ediderat, quammaxime floruerunt? at postquam per luxum ac licentiam, non Jure, non Legibus omnia apud eos geri ceperunt, quis ignorat tantum Græciæ lumen brevi extinctum esse? Possem multis clarissimarum urbium tam superioris, quam nostræ ætatis exemplis ostendere, nihil esse tam hostile, tam inimicum civitatibus, quam injustitiam, neque omnino sine maxima Justitia regi, aut stare posse Respublicas; sed nolo in re tam clara, tam manifesta esse prolixior. Verum quid de civitatibus tantum attinet dicere, cum Beatus Augustinus Regna, Provincias, regiones, remota Justitia, magna dicat esse latrocinia? Sed & si castella, oppida, vicos, villas, domos, & omnem omnino hominum conventum, & societatem intueamur, nonne in ipsis sine Justitia regnare odia, inimicitias, rapinas, stupra, furta, adulteria, incendia, omnemque rerum confusionem quamdam, ac perturbationem facile cognoscemus? Itaque si hanc humani fœderis, humanæque conjunctionis, & benevolentiæ parentem de medio sustulerimus, omnem hominum societatem, omnemque comunionem funditus evertemus; neque erit ulla domus tam abundans, tam magnifica, nullum præsidium tam opulentum, tam munitum, nulla urbs tam præclara, tam potens, nullum denique Regnum tam lautum, tam hominibus vel auro refertum, quod non in ultimam pernitiem, desolationemque labatur. At vero illud nulla ratione prætermittendum est, hujus Justitiæ tantam vim esse, eamque tam late vires suas diffundere, ut nedum in toga, in pace, in foro, in curia, intra urbes, domesticosque parietes, verum etiam in bello, in re militari, in exercitu, in castris pernecessaria sit. Inprimis, ut inquit Cicero, in bello suscipiendo, gerendo, & deponendo Jus plurimum valet, deinde ut hostibus promissa serventur, ac ne cui bellum prius inferatur, quam indicatur, ne quid adversus hostes contra jus, fasque agatur, ut legatis hostium nulla prorsus vis, nulla injuria inferatur. Quis non hæc

omnia

omnia ex media prodire Justitia existimabit? Nisi vero belli princeps, ductorque exercitus benemeritis militibus stipendia, honores, coronas, dignitates, aliaque istiusmodi virtutum præmia tribuat, ignavos vero, molles, ac desides pœna coerceat; nisi prædam æquo jure inter milites dividat, ac singulos suo loco, ordineque contineat, doceatque unumquemque suis terminis esse contentum, neque aliorum loca, officiaque invadere, non rapere, non furari, sed suis stipendiis vivere, quomodo poterit in castris, in exercitu rei militaris disciplina servari? aut quis tueri fines suos, vel ab hostibus victoriam reportari posse confidet? Sed & multæ inter milites de præda, de spoliis, de dandis honoribus, de captivis, de aliisque militaribus negotiis, lites, controversiæ, & causæ difficiles oriuntur, quæ nisi Justitia terminarentur, maximas excitare solent seditiones, cœdes, strages, gravissimosque tumultus, militumque animos a fide ad perfidiam trahere; quo quid potest esse periculosius, quid perniciosius? Liquet igitur, sine Justitia neque regi, neque contineri exercitum, neque ab hostibus triumphum posse nullatenus reportari. Sed ne illi quidem, qui scelere & maleficio pascuntur, possunt sine ulla particula Justitiæ vivere: nam qui eorum cuipiam, qui una latrocinatur, aliquid furatur, is sibi ne in latrocinio quidem relinquit locum. Ille autem qui archipirata dicitur, nisi æqualiter prædam dispertiet, aut interficietur a sociis, aut relinquetur. Cum ergo tanta vis Justitiæ sit, ut etiam latronum opes firmet, atque augeat, quantam ejus vim in juditiis, in foro, in constituta Republica esse existimemus? Atque his etiam, qui vendunt, emunt, conducunt, locant, contrahendis negotiis implicantur, Justitia ad res gerendas necessaria est, quæ provideat, ne quid dolo, fraude, aut fallaci circumventione agatur. Est igitur Justitia vinculum humanæ societatis, quæ in Regnis, in Provinciis, in urbibus, oppidis, domibus, in bello, in exercitu, in omni denique hominis conventu, cœtu, atque negotio, primum sibi semper locum solet vendicare. Hujus exercendæ, atque administrandæ causa constituti sunt Reges, Principes, Prætores, Præfecti, cæterique Magistratus, ut quidquid discordiarum inter homines oriretur, Jure ac Legibus, horum quoque auctoritate & imperio terminaretur. Ad hoc enim designati sunt Magistratus, ut præsint, præscribantque recta & utilia, atque conjuncta cum Legibus. Sicut enim populis Magistratus, sic Leges præesse constat Magistratibus; eos vero cum multis ornatos esse virtutibus oporteat, si recte, si sancte, si innocenter præesse voluerint, tum maxima Justitia, dicente Scriptura, *honor Regis judicium diligit*; & alibi, *diligite Justitiam qui judicatis terram*. Quamobrem apud Veteres hi potissimum ad imperandum eligi solebant, de quorum justitia maxima esset opinio multitudinis. Hinc Themistoclis sapientissima illa vox, & vere Principe digna laudatur, qui, cum Simonides Poeta rem ab eo inju-

 stam

ſtam peteret, *Neque tu*, inquit, *bonus Poeta eſſes, ſi ſine harmonia ſcriberes, neque ego bonus Princeps, ſi contra Juſtitiam judicarem*. Præclare igitur, ut ſolet omnia, Virgilius, hanc veluti præcipuam quamdam virtutem, & cæteris præſtantiorem Romanis, tot populorum, tot provinciarum, ac nationum dominis, atque Principibus pernecessariam eſſe commemorat, dicens:

Tu regere imperio populos, Romane, memento,
Hæ tibi erunt artes, paciſque imponere morem:
Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

Cumque ſapientiſſimi illius Solonis inſtituto duabus potiſſimum rebus conſtet omnis Reſpublica, præmio ſcilicet, & pœna, quibus Juſtitia maxime continetur, neceſſe eſt, ut qui Rerumpublicarum gubernacula tenent, Juſtitiam ament, colant, obſervent, eamque, veluti ſtabile civitatum quoddam omnium munimentum, validumque præſidium, ſemper, & ubique tueantur, atque defendant. Quamobrem Leges nobis neceſſariæ fuerunt, quibus ut quid æquum, quid iniquum, quid juſtum, quid injuſtum cognoſcentes, injuſtitiam pernitioſum malum fugiamus, Juſtitiam vero ampliſſimum bonum complectamur. Harum Legum quædam nobis ab ipſa natura ingenitæ, quædam divinitus datæ, aliæ ſunt humano ingenio adinventæ. De prima, quam naturalem dicimus, inquit Apoſtolus: *Sunt qui Legem Dei ſcriptam habent in cordibus ſuis*. Hæc ſiquidem recta ratio eſt, quæ nihil turpe, nihil illicitum concupiſcit, docetque in alium non fieri, quod ſibi quis fieri nolit. Hanc homini in ſua prima creatione optimus ille, atque omnipotens rerum omnium conditor Deus contulit & donavit, in qua conditione ſi permanſiſſet homo, nihil fuiſſet illius vita perfectius, nihil melius, nihil excellentius; fuiſſent ſiquidem omnes hominis ſenſus ita rationi, & huic naturali Legi ſubjecti, omneſque actus noſtri ſic ab ea debite regulati, ut neque appetere, neque agere quidquam ultra recti, honeſtique fines hominibus placuiſſet. Hæc Lex ita hominibus innata eſt, ut nemo ſit, qui eam poſſit ignorare. Quis enim neſciat, adulterium, homicidium, furtum, & omnino omnem concupiſcentiam eſſe malum, & nulla ratione in alterum commitendum, eo quod talia ſibi nemo velit ab alio inferri? Per hanc cognovit Cain peccatum, quod in fratrem commiſit, dicens, *Major eſt culpa mea &c.* Adam quoque, & Eva cognoverunt, dum alter ſocietatem mulieris, altera ſerpentis aſtutiam in excuſationem patrati ſceleris allegavit. Pharaon quoque ſtimulatus hac Lege vere ſua crimina recognoſcens, *Dominus*, inquit, *juſtus, ego autem & populus meus impii*. At poſtquam corrupta primi parentis peccato humana natura hominum malitia creſcere, atque hæc naturalis Lex paulatim deprimi cœpit, & errorum caligine obfuſcatum eſt præclarum

Digitized by Google

rum illud lumen Justitiæ, miserator, & misericors Dominus, qui omni loco, & omni tempore nostris dignatur succurrere infirmitatibus, ut a multis erroribus aliquantisper consurgeret nostra fragilitas, & qui amissa rectitudine, & naturali justitia per devia vagabamur, ad rectam viam virtutis rediremus, eam Legem, quam in mentibus nostris sculpserat per Moysen primum, deinde per Prophetas, & alios Legislatores, secundum varietatem temporum nobis servandam expressit, atque præcepit. Sed, quoniam, ut ait Apostolus, *Lex neminem ducit ad perfectionem, Evangelium autem salutem dat omni credenti*, cum advenerit plenitudo temporis, quam divini Consilii imperscrutabilis altitudo prospexit, misit Deus Filium suum supremum Legislatorem, qui tulit Legem vitæ, Legem veritatis & sanctitatis, Legem immaculatam convertentem animas, in qua vir justus meditari debet die ac nocte, quam Evangelicam appellamus. Post hæc crescente Ecclesia, multisque in ea gradibus, & ordinibus rite dispositis, tam ab Apostolis, quam ab eorum Successoribus, Canones plurimi editi sunt ad componendos mores, corrigendos excessus, totumque Corpus Ecclesiæ in omni decore, venustate, vitæque sanctimonia conservandum. Sed & multo tempore ante Salvatoris nostri adventum, homines, quibus, ut diximus, Lex a natura data est, ut populos in rectitudine, æquitate, justitia facilius continerent, Leges adinvenerunt, quasi vinculum quoddam, quo Respublicæ, & homines inter se pacem, & societatem conservarent. Constat enim ad salutem civium, civitatum incolumitatem, vitamque omnium quietam atque beatam, conditas esse Leges, quas ita vitiorum emendatrices, commendatricesque virtutum esse oportet, ut ab eis omnis bene vivendi doctrina sumatur. Has primus fertur Græcis Foroneus Rex tradidisse, Mercurius Ægyptiis, Solon Atheniensibus, & Licurgus Lacedemoniis, Romanis Numa Pompilius, qui urbem vi armisque conditam primus Jure, Legibusque munivit, aucta deinde Republica, multisque creatis Magistratibus, Romani Legatos Athenas miserunt, ut Solonis Leges exscriberent, aliarumque Græciæ civitatum mores atque instituta cognoscerent. Hæ Leges apud Romanos ampliatæ, & in ordinem quemdam digestæ, XII. tabularum Leges dici meruerunt. Et quoniam crescente Imperio, multiplicatisque seditionum, & discordiarum seminibus, ad lites, & controversias dirimendas, conservandamque pacem in civitate, hæ haudquaquam sufficere videbantur, aliæ insuper Leges adinventæ sunt tum ex Sapientum ac Jurisconsultorum responsis, tum ex Consulum, Principum, aliorumque Magistratuum decretis & sanctionibus, qui cum Reipublicæ curam gererent, eas debebant Leges sapienter instituere, quibus Respublica optime regi, ac salubriter gubernari posset. Hæ cum pene infinitæ essent, utpote quæ pro rerum, temporum, casuum, ac per-

personarum varietate promulgatæ aliæ super alias fuerant, primus omnium, qui eas in libros atque ordinem redigere voluit, fuit magnus Pompejus Consul, sed metu detractorum ab eo proposito destitit. C. dein Cæsar id ipsum animo concepit, sed præmature interemptus efficere nequivit; longo autem post hos intervallo, cum jam ad Monarchiam Respublica devenisset, Theodosius Imperator primum, deinde Justinianus ordine quodam in libros, codicesque reduxit. His nunc utimur, vivimus, his fere totus Orbis gubernatur, & regitur. Has Regibus, Principibus, cæterisque Magistratibus, quibus Justitiæ administratio credita est, pernecessarias esse jam diximus, utpote quibus instruuntur Jus unicuique dicere, lances tenere Justitiæ, & ita æquato examine in omni lite, causa, controversiaque procedere, ut neque ad dexteram, neque ad sinistram declinare quomodolibet videantur. Hæ, inquam, docent domitas habere libidines, coercere cupiditates, nihil contra honestum, decorumque agere, tueri, & conservare nostra, aliena vero neque cupere, neque ulla prorsus ratione invadere. Quare cum sine his civitates aut nullatenus esse, aut bene moratæ esse non possint, veluti quibus omnes Justitiæ partes continentur, quam parentem, & conservatricem civitatum antea ostendimus, recte Leges dici possunt muri atque mœnia civitatum, quarum profecto vi ac potestate Solon ille Atheniensis minimas, tenuissimasque Respublicas, maximas, & florentissimas fieri posse dicebat. Hinc factum esse arbitramur, ut qui illarum inventores, atque deinde Interpretes fuerunt, habiti sint veluti quædam divina oracula civitatum, oppressorumque omnium portus, atque refugium. Quid enim melius, quid utilius, quid multitudini gratius, quam opem ferre oppressis, adjuvare afflictos, dare salutem, liberare periculis, arcere injurias, retinere homines in civitate? aut quid cunctis fructuosius, quam, quod præcipue Juris consultorum officium est, sua ope, suo labore, suoque ingenio homines ex incertis certos, inopes consilii compotes facere, & ne res injustas aut iniquas temere tractent admonere? Si igitur Legibus & Justitia, voce quoque & consilio Jurisperitorum carebit civitas, veluti ornamento maximo, stabilique fundamento destituta, ut brevi corruat necessarium fore existimo. Hi Legum Doctores, atque Interpretes, dum pro suo quisque ingenio eas illustrare, atque declarare nititur, multisque ac variis emergentibus quotidie casibus suis cupiunt responsis ac consiliis providere, scripta scriptis addentes, & novis vetera corrigentes, infinitos pene codices ediderunt; ad quos nedum mature intelligendos, sed ne raptim cursimque legendos brevis hominum vita esse videtur. Sed etsi quem tot libros, tantamque Sapientum varietatem legere posse contigerit, quo pacto memoriæ commendare, atque retinere possit, non tam difficile, quam pene impossibile judicandum est. Quæ enim memoriæ vis, quæ tenacitas tantam rerum, casuum, jurium, ac

san-

Digitized by Google

sanctionum copiam, tot præterea Doctorum sententias & opiniones, tot codices, tot volumina poterit memoria comprehendere, quot cum divini potius muneris, quam humanæ facultatis esse videatur, fieri necesse est, ut plerique quadam quasi desperatione adducti in ipso itinere deficiant, & ante inchoatum studium deserant, quam finem nedum attingere, sed intueri potuerint. Est namque memoria cum in omnibus artibus, studiis, ac disciplinis, tum maxime in hac Legum, Canonumque scientia admodum necessaria, quæ cum rerum omnium thesaurus sit, nisi custos inventis, cogitatisque rebus assiduæ quoque lectioni adhibeatur, intelligimus labores studiosorum hominum facile perituros. Ac sicut qui multas opes variis peragratis regionibus magno labore paraverit, nisi eas prudenter conservet, & quadam quasi parsimonia prout sibi expedire cognoverit, eroget, atque distribuat, inanem operam sumsisse videbitur; sic qui ex hac immensa Legum congerie multa legerit, viderit, audiverit, nisi memoriter conservet, atque custodiat, eaque pro causarum, & negotiorum qualitate in medium afferat, inutiliter profecto laborasse judicandus est. Sed quis hoc assequi posse confidet? vinceret sane hæc tanta librorum multitudo veteres illos Simonidem, atque Themistoclem, quorum alter cum præstanti memoria natura præditus fuisset, ejus quoque rei artem quamdam invenisse dicitur, & in altero tanta vis memoriæ fuisse traditur, ut cum quidam sibi polliceretur artem se memoriæ traditurum, oblivíscendi artem malle se diceret. Quod vero de Mitridate, Ponti & Cyro Persarum Regibus antiquitas meminit, nihil ad rem nostram attinet, quorum primus omnium gentium linguas, quibus imperabat, memoriter tenuit, earumque Legatis sine interprete respondit, alterum suos duces ac milites omnes nominatim appellare solitum a Xenophonte Socratico traditum est. Sed & Hortensium ferunt eisdem verbis, quibus commentatus fuerat, nullis adhibitis scriptis orationes suas recitasse, & Lucullum cum esset Roma profecturus in Asiam una navigatione omnia rei militaris præcepta memoriter percepisse. Hæc, etsi præclara fuerint, & a priscis illis Scriptoribus plurimum laudata, tamen si ad hanc Civilis, & Pontificii Juris amplitudinem comprehendendam, ac memoriæ tenendam conferantur, levia ac pene puerilia videntur. Aliud est enim plurimorum hominum, locorum, aut nominum dispositionem, atque ordinem memoria tenere, aut unius disciplinæ perbrevis præcepta omnia quam celeriter adiscere, aliud est tot Voluminum, tot particularium Constitutionum, tot casuum, opinionum, ac sententiarum memorem esse posse; quod sane optandum magis fore sentio, quam sperandum. Hanc difficultatem, seu potius necessitatem intelligentes doctissimi ante nos Viri, eidem pro virili succurrere studuerunt, ne in tanta Legum copia, Juriumque multitudine succumberent studio.

Digitized by Google

diosorum ingenia, aut desperatione quadam ab incœpto desisterent. Et quoniam neque a natura tantam memoriæ vim consecuti sumus, ut hæc omnia complecti valeamus, ars quoque ipsa memorandi haudquaquam sufficere videatur, quidam libros, quos Summas appellant, ediderunt, in quibus brevi, & compendioso sermone suis quasque titulis Legum, Canonumque sanctiones complexi sunt; quo profecto labore in inveniendis, definiendisque casibus non parum adjumenti attulerunt. Plerique id non satis sufficere arbitrantes, Repertoria quædam, sic enim eos libros a reperiendo vocant, conscripserunt; & horum quidam per titulos, quos Rubricas dicimus, ut illi superiores, quidam per dictiones quæcunque sparsim in tot Voluminibus diffusa sunt, veluti in angustum quemdam locum coarctarunt, ita ut quid quisque de quacunque re, & quo in loco scripserit recensentes, compendiose, breviterque perstrinxerint. Et quoniam ad res facilius inveniendas, inventasque memoriæ commendandas maximum præstare solet ordo adjumentum, idcirco prisci illi doctissimi viri omnes omnino dictiones, sub quibus universam Juris, Legumque materiam complexi sunt, secundum Alphabeti ordinem texuerunt, ita ut quæ prior in Alphabeto littera fuerit, earum dictionum, quæ ab ea incipiunt, materiam prius, tractatumque posuerint. Unde cum A. littera primum locum sibi inter litteras vendicet, ab ea primum inchoant, ejusque naturam, ac significationem, prout Jurisperiti de ea scripserunt, quam breviter subjiciunt. Post hanc sequitur dictio AB, deinde *Abbas*, *Abbatissa*, & sic de reliquis, quæ ab hac littera A. incipiunt dictionibus, interque eas ordinem servant, ut prius de his quæ ab his litteris A. B., quam de his, quæ ab A. C. initium habent, tractare incipiant. Prius ergo de hac dictione *Abbas*, quam de dictione *Actio* tractatum esse invenies. Tunc expedito tractatu earum dictionum, quæ ab A. inchoant, de littera B. suisque dictionibus prosequuntur, huncque ordinem in omnibus aliis litteris & dictionibus servant, ita ut facile sit de quacunque re dicere, tractare, aut disputare volueris, per quos, in quo loco, quidve de ipsa plene scribatur, illico, & ad manum reperire. Horum doctissimorum hominum libros, cum Juri operam daremus, libenter & studiose perlegimus, utpote quos ad hanc infinitarum pene rerum memoriam adjuvandam plurimum utiles ac necessarios esse cognovimus, eorumque Auctores, qui pro communi studiosorum omnium utilitate labores maximos susceperunt, dignos semper censuimus laude & gloria immortali. Verum hos singulos singulis in rebus, ac disciplinis elaborasse comperimus, neque unum omnia fuisse complexum. Quidam enim quod ad Jus Civile attinet tantum tractantes, Sacrorum Canonum libros summis, ut ajunt, labiis tetigerunt; plerique sacris solum Canonibus intendentes, Jus Civile inta-

ta-

Digitized by Google

tactum reliquerunt. At quidam utriusque Juris eruditissimi utrumque abunde, copioseque amplectentes, Theologorum tamen sententias penitus prætermiserunt, quod profecto, pace tantorum Virorum dixerim, labores eorum mancos reddit, & diminutos, cum plerumque aliter Leges, aliter Canones, aliter Theologi de eadem re statuant, ac definiant. Nos vero post multorum annorum studium, labores, vigilias, plurimorumque librorum assiduam lectionem, cum ex infinita rerum congerie multa excerpserimus, quæ ab aliis vel non visa, vel oblita, seu neglecta fuerant, decrevimus tandem Repertorium novum componere, ut nostra opera quantulacumque sit, eorum, quos hæc studia delectant, difficultati, aut necessitati subveniamus. Cœlesti itaque adjuti præsidio opus omni ex parte, ut credimus, absolutum, atque perfectum edidimus, in quo servato eo, quo supra dixi, ordine, quidquid sparsim, & in magnis, multisque Codicibus dictum est, facile poterit reperiri. Sed & quæ ab aliis istiusmodi Repertoriorum Scriptoribus aut diminute, aut parum ordinate sunt posita, in ordinem debitum reduximus, &, ubi necessarium visum est, supplere curavimus; adjunximus quoque, quod præcipue nostrum est, prout cuique tractatui convenire putavimus, Theologorum, & præcipue S. Thomæ Aquinatis sententias, ut ad veritatem abunde, copioseque cognoscendam nihil studiosis deesse possit. Qua quidem in re quantum profecerimus, quantumque utilitatis nostris hominibus attulerimus, aliorum volumus esse judicium. Neque in hoc opere quisquam a nobis expectet omnium dubitationum, & quæstionum veram, perfectamque definitionem, atque sententiam. Id enim in jure est perdifficile, ac pene impossibile, cum multis interdum distinctionibus, multisque divisionibus opus sit, ut veritatem certam, ac solidam attingamus. Quando igitur simplex, aut facilis dubitationis est solutio, vel clara, & concors Sapientum decisio, tunc non quærendo tantum, sed difiniendo procedimus. De his vero quæ longiorem investigationem, ac distinctionem requirunt, ad eos, qui late scripserunt, quæstiones formando remittimus. Illud autem pollicemur, nihil in utroque Jure memoratu dignum (communia enim & vulgata interdum omisimus) fuisse a quoquam dictum, quod non a nobis recensitum, ac suo loco suoque ordine descriptum sit, ita ut vel in hoc nostro Opere, vel in eorum libris, ad quos remittimus, veram decisionem quisque diligens valeat invenire. Monemus autem omnes, qui hoc nostrum Opus in manus sumpserint, ne illud superbo, aut arroganti animo legant, vel accusent, lacerent, aut nobis quomodolibet detrahant, aut hunc multorum annorum laborem assiduum reprehendant. Nos enim neminem ad legendum compellimus, sed quibus placuerint Veterum libri, quos omnes scimus laude & gloria extollendos, illos habeant, in illis versentur. Hæc nostra

si

Digitized by Google

si legere noluerint, non mordeant, non damnent, non calumnlentur, sed illis legenda dimittant, qui in libris non tam vetustatem, aut scribentium auctoritatem, quam utilitatem sectantur, neque a quo, aut quo tempore, sed quid, & quam bene dicatur, animadvertunt. Neque enim in sugillationem aliorum hunc librum conscripsimus, sed solis studiosis hominibus aliquid utilitatis nostro labore afferre voluimus; quod si minus forsitan consequi poterimus, satis erit nobis ipsis hunc laborem impendisse, simulque id omnibus ostendisse (quod neque maledicendo, neque contemnendo auferri a nobis quisquam poterit), nos neque inertes omnino, nec desides, aut otiosos fuisse, sed magis studio, ac lectioni semper vacasse, atque inter tot, tamque varias & publicarum, & privatarum rerum occupationes, in quibus semper versati sumus, & in negotio otium, & in otio negotium invenire potuisse.

Hæc in Operis sui limine edisserens Petrus de Monte, cui non se præbeat Jurisconsultum omnino promeritum, ne sibi inter Optimatum tuorum subsellia locus denegetur? Tria Scriptorum Juris, uti reliquorum omnium, vitia præcipua paucis hisce verbis a Te comprehendi reperio, *Aut quod minute nimis, ac inutiliter, Aut quod plus æquo subtilior, ac obscure, Aut denique quod barbare, & involute res pertractent*. Vitia ista sedulo Petrum de Monte in suo illo Repertorio evitasse, methodus ab ipso suscepta res pertractandi, quamque exposuit in ipsa Præfatione, fidem abunde facit. Quantum vero barbariem illam arces ipse maxime & oderis, libet mihi recitatæ modo Præfationi subjungere ejusdem Petri Procemium aliud, scilicet Opusculi cujusdam, quod nusquam impressum e Vaticanæ Bibliothecæ forulis ante aliquot annos a me erutum in lucem protuli, ac Diatribæ meæ in Epistolas Francisci Barbari inserui. Perspicies enim ex eo magis magisque Tecum prorsus consensisse Petrum meum in barbarie illa insectanda, gratiusque, ut spero, Tibi accidet novum hocce munusculum, quo propius in eo Opusculo contexendo ejus Auctor viam tenuit, quam Tu Rempublicam instituens Jurisconsultorum terere statuisti. Conflasti scilicet

Digitized by Google

licet fabulam leporibus & salibus refertam, ad vindicandumque Scriptionis tuæ genus istud, Antonii ex Cicerone de Orat. lib. 2. verba ista usurpans, *Doctior per te, & audactior factus sum ad jocandum, non enim vereor, ne quis me in isto genere leviorem jam putet, quoniam quidem tu Fabricios mihi auctores, & Africanos, Maximos, Lepidos protulisti*. Disputationi tuæ locum Ægæi Maris insulam longe post Cycladas ipse amœna fictione selegisti, Petrus item meus in dulcem Patavinæ Villæ sinum receptus adversus bonarum literarum hostem campo se se dedit; navigationis tuæ comites adhibuisti Genutium, Pinarium, Nautium, Numicium, Petrus vero rusticantes secum induxit Hermolaum Barbarum, Joannem Marinum, Georgium Cæsarinum, aliosque nonnullos doctissimos, atque humanitatis, ut ipse eos vocat, simulachra; ambo denique lucubrationibus illis vestris subcisiva tempora impendistis, Petrus quidem laxandi recreandique ingenii causa Gymnasii Patavini feriis recurrentibus, at Tu ut amica, ac blande alliciens jucunditas solidæ serviret utilitati. Ludus hujusmodi profecto liberalis, atque elegans, quem seria tractantes genio vestro pariter concessistis, Te mihi jam exhibet cupidum Procemii illius, damnoque apponentem vel exiguam lectionis moram. En itaque Tibi ipsum.

Petri de Monte, Veneti, ad patritium Virum Andream Julianum Venetum adversus ridiculum quendam Oratorem Invectiva incipit. Etsi multa sint abs te, Vir clarissime, in omni vivendi genere præclare, ac sapienter dicta, quæ ingenuum animum ad colendam, amandamque virtutem facile adducere possent, illud tamen præ cæteris quam maxime probare soleo, quod ab excellenti Philosopho Seneca sapienter dictum tibi persæpe usurpatur, otium videlicet sine literis mortem esse, & vivi hominis sepulturam; idque cum multis argumentationibus tam eleganter, quam graviter, tum Majorum nostrorum exemplis corroboras. Catonem namque, etsi variis de causis laudandum, extollendumque existimas, ob id tamen, quod nunquam nisi invitum de manibus librum posuisse constat, eum summopere probas. Is enim ne quicquam temporis a

 lectio-

lectione vacuum labi pateretur, dum in Senatum accederet, libellum quemdam secum deferebat, cujus particulam aliquam, interea dum Senatus colligebatur, lectitabat. Publium vero Scipionem, eum, qui primus Africam devicit, dicere solitum esse, Cicero Latini eloquii dux testatur, se nunquam minus solum esse, quam cum solus esset; & recte quidem. Quo enim pacto solum eum esse dicere possumus, qui tot clarissimis rerum Scriptoribus, a quibus bene, beateque vivendi mores, doctrinamque suscipimus, septus, stipatusque dignoscitur? Inter hos soles quam maxime irridere Diocletiani vitam, qui cum se e Foro, subselliis, comitiis, ac rerum publicarum agitatione in cubiculum contulisset, stilo ferreo muscas insectabatur. Hæc abs te, aliaque nonnulla divine narrata, cum sæpe mecum ipse antea mente repetii, tum his maxime diebus, quibus cum ex his Canonicæ, Civilisque sapientiæ studiis, velut ex diuturna, fluctuosaque navigatione quicquam otii nobis concessum fuerit, suburbanum quoddam prædium, laxandi, recreandique ingenii causa, adire constitui, ubi pulchrum erat videre collium viriditatem, vallium amœnitatem, suavitatem agrorum, benignitatem arborum, denique prospectum dulcissimum. Hunc ad locum, ne tua gravissima auctoritate adductus, tuisque præceptis commonefactus inerti otio marcescerem, Ciceronem, Titum Livium, Hieronymum, Eusebium, Quintilianum, aliosque divinos Viros mecum adduxi, ne eorum perjucunda consuetudine, qui nonnisi jussi loquuntur, nimis mihi molesta esset hæc habitatio. Aderant forte hoc loco plerique modestissimi juvenes, & in his Oratoriis studiis athletæ fortissimi, Hermolaus Barbarus, Joannes Marinus, Georgius Cæsarinus, aliique nonnulli, qui, ut doctissimi sunt, ita cujusdam quasi humanitatis quædam mihi videntur esse simulachra. Inter legendum autem, disceptandumque cum plures dies jam a nobis consumpti essent, quibus in hoc honesto otio, literatoque certamine felicitatem ipsam adepti esse videbamur; ecce bellus quidam Vir, dum Ciceronem certatim laudaremus, admiraremurque, se se offert nobis socia agmina cædens, qui adeo inepte, adeo turpiter, adeo flagitiose in hos suavissimos Oratores, quos veluti lactea quædam, & melliflua cibaria ore detinebamus, impetum facit, ut nihil unquam horribilius, aut detestabilius viderim; cum quosdam eorum errores, ut ille dicebat, in medium adduceret, atque his minime contentus, in nostræ quoque ætatis perelegantes Viros gravissimas injurias proponebat. Adversus hoc impiissimum monstrum, quod Dii, Deæque omnes perdant, quisque nostrum pro suo iure viriliter certavit, & ita certavit, ut post longam pugnam eum in pedes dare compulerimus; nunquam tamen, ut se errasse fateretur, efficere potuimus. Cum autem nobis nondum satis videretur

retur

Digitized by Google

retur debitas eum tanti delicti pœnas dedisse, placuit, ut in illum quædam probra conscriberentur. Aspexit tum me Barbarus leniter, ut est quidem pudore, modestiaque insignis, atque hanc ad me provinciam detulit, non quod eorum eloquentior, aut doctior essem, sed quod me id gravius, molestiusque tulisse affirmaret. Assensere omnes, imo precibus, verbisque coegerunt, ut ne hanc rem, communemque causam aggredi negligerem. Ego vero, etsi hoc meis viribus onus impar esse non ignorarem, non valui, pro sua in me benevolentia, eorum voto contradicere, etenim omnia vincit amor; e vestigioque sumpto calamo nescio quid conscripsi, quod tuo nomini dedicavi, qui cum eloquentissimus sis, hisce hominibus bellum perpetuum indixisti. Id, si quid est, tuo gravissimo judicio, quod semper maximi feci, ac facio, lubens subjicio. Quod si probaveris, quantas, Dii boni! ingeniolo meo vires adjicies! Jam quo pacto hanc bestiam hominis aggredi constituerim, quæso animadvertas. Gaudebis, credo, legensque nonnunquam subridebis.

Atque hæc quidem satis esse reor, ut certo Tibi constet, nihil me largitum fuisse caritati erga Patriam, nihil amori erga Cathedram Episcopalem, cui insideo, dum Petro de Monte Optimatis locum in Rep. a Te institutа deberi contendo. Ut autem id ipsum certius adhuc Tibi persuadeas, accipe tandem binarum Orationum, quas ego in Vaticana Bibliotheca pariter detexi, exigua quædam segmenta. Nosti (nec enim dubito) celeberrimam controversiam, quæ inter Poggium & Guarinum exarsit, num Cæsar Scipioni, an Scipio Cæsari foret præferendus. Poggium pro Scipione stantem Petrus tueri suscipiens, judicium suum in hunc modum interponit. Scipionis, auctore Augustino, mores optimi; at Cæsaris pessimi. Scipio maxima concordia claruit; Cæsar multarum discordiarum, bellorum, & seditionum auctor fuit. Scipio Romæ, Italiæque liberator; Cæsar Romanæ, & Italiæ libertatis oppressor. Scipio tam periculosi secundi belli Punici confector; Cæsar civilis belli auctor. A Scipione Hannibal fortissimus, & prudentissimus hostis victus; a Cæsare Pompejus optimus civis profligatus, omnisque Senatus pene extinctus. Scipioni subjecta Carthago fuit; Cæsari Romana libertas, tantique splendor, ac lumen Imperii. Scipionis vita fertur ab adolescentia Diis dedita, templisque nutrita; Cæsaris vero adolescentia cum seditiosis, & facinorosis hominibus ducta, & multis coinquinata sceleribus. Scipio tanto Patriæ amo-

re

re flagravit, ut quorundam in ſe Civium odia cernens, voluntarium ſibi exilium elegerit, ne quam Reip. calamitatem ejus potentia afferret; at Cæſar effrænata quadam dominandi rabie adductus, ne dum pro Patriæ ſalute æmulis non ceſſit, ſed potius furore quodam, arma contra Patriam, contra Senatum, contra bonos omnes aſſumpſit, civilem ſanguinem fudit, & Romanam nobilitatem extinxit. Segmentum alterum Te edocebit, Petrum, qui, ut ſuperius vidimus, ludicræ ſcriptionis genus adamavit, eloquentiam ſuam, dum viridi ætate in Patavina Univerſitate literis vacaret, exeruiſſe pro ludis, jociſque retinendis, quibus ſtudioſa juventus diebus Cereri & Baccho dicatis indulgere conſueverat. Edicta itaque Præſidum Urbis vulgata ad reſecandam eorum jocorum libertatem his verbis carpit: Neſcimus quo conſilio, qua prudentia, ab hujuſce urbis Præſidibus, publicis edictis, hoc liberioris joci genus, hæc, ut ita dixerim, vetus libertas noſtra, nobis interdicta eſt, qui profecto (ut pace eorum loquar) neque vigilias noſtras, neque ſtudiorum onera, & curas, ſed nec juvenilem ætatem noſtram conſiderantes, exiſtimant nos a pueris illico naſci ſenes; hancque ætatem noſtram, bullientemque in nobis juvenilem ardorem ex ea, quæ in illis nunc eſt, non quæ olim fuit, metiuntur. Id autem quam juſto dolore nos omnes afficiat, quantaque indignatione noſtros animos haud immerito perturbet, facile intelligent, ſi quot incommoda, quot mala patiamur, quot noctes inſomnes ducamus, quot voluptatibus, & ſeculi hujus illecebris, idque præter ætatem, nos privemus, dum liberalibus artibus, ingenuiſque diſciplinis intendimus, æquiore judicio animadvertere voluerint.

Demum meas halce literas claudens, ſinas, precor, ut fas mihi eſſe putans vocis *Feudum* etymologiam, quæ adhuc ſub judice eſt, a vocibus *Fœdus*, & *Fides* delumere, Orationem tuam de Jure Feudali, qua me donaſti, ceu compoſiti inter nos literarii Fœderis, junctæque Fidei pignus perpetuo apud me manſuram profitear. Vale, Anteceſſor præſtantiſſime."

Brixiæ die VIII. *Maii an.* MDCCLIV.



VA1
1544461

Digitized by Google